

II f  
789

X1860451

2. F. S!  
MORALIA IN COMPENDIO

VIRTUOSAS ACTIONES NOSTRAS  
EX

AMORE,

VELUT  
SCATURIGINE,

DEDUCTAS,  
CONSENSU SUPERIORUM,

PRÆSIDE  
M. Gottlob Friedrich Seligmann/  
DUCALI LIPSIAE COLLEGIATO,  
PUBLICE DEFENDET

AUTOR  
• JOHANN. CHRISTOPH. de LÜBKEN,  
EQV. MEGAPOL.

ROSTOCHII IN AUDITOR. MAJ. d. 16. MART. 1681.

Literis B. KEILENBERGII, Universit. Typogr.



534





*VIRIS.*  
QVOS. AMOR. AMORE. ET. HONORE.  
DIGNIORES. FINGERE. HAUD. POTUIT.

*i. e.*

*ADPRIME. VIRTUOSIS.*  
*ILLUSTRI. GENEROSO. ET. EXCELLENTISSIMO.*

*DNO.*  
**DN. ADAM. HENNING.**  
**DE BULAU.**

SERENISSIMI. PRINCIPIS. AC. DNI. DNI. GUSTAVI.  
ADOLPHI. DUCIS. MECKLENB. &c. &c. &c. CON-  
SILIARIO. INTIMO. AC. TOPARCHÆ.  
BOIZENBURGËNSI.

*MECENATI. SUO.*

*UT. ET.*

*NOBILISSIMO. AMPLISSIMO. AC. CONSUL-  
TISSIMO. DN DN.*

**PAULO. ANSEHLIO.**  
EJUSDEM. SERENISSIMI. PRINCIPIS. AC. DN: &c. &c.  
CONSILIARIO. HEREDITARIO. IN.  
SUDENHOFF.

*PATRONO. SUO.*

*QVICQVID. HARUM. EST. PAGELLARUM.*  
*LEVIDENSE. DEVOTIONIS. AC. OBSERVANTIÆ.*  
*DEBITÆ. INDICIUM. PRIMUM. TAMEN. STUDIORUM.*  
*ACCADEMICORUM. SPECIMEN. SUBMISSE. AC.*  
*DECENTER. CONSECRAT.*

*JOHAN. CHRISTOPH. de LÜBKEN.*





**I**nnatum est omni-  
bus vivendi bene beateque  
desiderium(a). At alios huc,  
alios illuc nunc consuetudo  
& exemplum, nunc genius &  
inclinatio perducit. *Illi an-  
tecedentium gregem sequun-  
tur, quò itur, non quò eundum:  
hinc de vitâ nunquam judicant,  
semper credunt (b).* Hos adfectuum abripiunt turbæ,  
eoq; capiunt, sæpius ab externis honorum mensuram  
(c). Ita in animi morbis plerumq; fallimur (d); satis in  
gravitate ac dolore corporis perspicaces. Scilicet, huic  
quod evenit, animo judicamus: quid animum deceat  
de deceatve, corpus judicare nescit (e). Ex quò maxi-  
mè agnosces fontem caliginis, de quâ Seneca (f): *Vivere  
omnes beatè volunt, sed ad pervidendum quid sit, quod bea-  
tam vitam efficiat, caligant.*

a) Vid. B. Dannh. Hodof. p. 2. de adfectu humano copiam ac fru-  
ctum S. B. desiderante (b). Lege Ren. Des-Cart. P. I. Ep. V. in  
Senec. de vit. beat. unde sumtum hoc dictum, quod is illustrat.  
(c) Vid. Becm. Doctr. Mor. c. 1. §. 4. de subj. Moral. (d) Conf.  
Plutarch. de Qu: animine an corporis adfectiones sint pejores?  
Tom. II. Opp. edit. Xylandr. f. 500. (e) Cicer. Qu. Tuscul. l. 3. c. 1.  
f) Sub init. de vit. beat. Vid. Ren. Des-Cart. P. I. Ep. IV.

**II.** Navigantibus istas inter tenebras duo lucent  
sidera; quorum alterum scintillis exiguis; alterum  
radiantibus undiq; flammis se diffundit. Naturæ il-  
lud, hoc Scripturæ est (q). Utroque qui ritè utitur, ad  
portum non infeliciter contendit. Neq; enim eorum



penitens quoque subscribere sententiae, qui Philosophiae omnem curam de felicitate summa eripientes (h), hoc modo opprimunt, quae naturalia dedit DEUS. Nec anfractus relictæ sibi rationis (i) probare audeo; cum & Ethnici, si duxeris ad Scripturam, planius sint incessuri (k). Media via tutissima. Utrumque munus gratia commendandum est æstimatione, pio de prædicandum usu. Scripturæ siquidem rerum invictam certitudinem; rationi, ubi accedere potest, si modesta est, evidentiã debemus (l).

g) Becm. Moral. c. 1. §. 6. h) E. Verulam. hoc excerpit ac improbat Dn. L. Placcius Comm. in L. VIII. de Augm. Sc. C. 1. t. 6. p. 233. i) Vid. de Ethnicis quæ doceat Magnif. Dn. D. Alberti Comp. J. N. P. 1. c. 1. §. 7. seqq. k) Id. evolvatur l. c. §. 28. l) vid. eund. c. 1. §. 20. add. Dn. Placc. p. 234. item B. Dannh. Hodof. p. 15.

III. Licebit igitur nobis, dum Moralia in compendio meditamus, mediam viam ingredi. Cur enim ex Ethnicis discamus, quod Deus ipse revelavit clarius (m)? Cur Ethnicorum dicta negligamus, quæ nostram præ illis felicitatem monstrant (n)? Cur denique rationis non inquiramus vires, quæ imbecillitate suã nativam nostram magis declarabunt cœcitatem (o)? Comprehendunt, rectè vivendi cognitionem, Moralia (p). Prætervehemur scopulos innumeros, si lucernam vitæ respicientes, quousque progredi, ubi deficere potuerit ratio, simul attendamus (q).

m) Non docuerit quispiam cultum Numinis, nisi Deus dux fuerit, ait Plato. Vid. B. Dannh. Hodof. p. 25. Manuctio ad Scripturam quomodo potuerit cognosci vid. Dn. Alberti P. II. Comp. J. N. C. 1. §. 19. Audi de hac quæstion. informatorem in Politischen Mätscher p. 374. n) vid. eund. Dn. Alberti de J. N. P. 1. §. 13. o) Dn. Placc. de Augm. Eth. in Verul. p. 234. p) Becm. Moral. c. 1. §. 1. q) Dn. Placc. Commentar. in Verul. L. 8. de Augm. sc. p. 234.

IV. Or.



IV. Ordiamur proin ab eò, ad quod uterq; oculus in Moralibus dirigi solet. Bonum in hâc vita Summum innuo; id est, positum in hominis potestate (r), eidem proprium (s) nunquam otiosum (t) nec propter aliud adpetendum (u). In quo delineando, eò quidem pervenit, quorsum naturali ductu vix alius, Aristoteles: In operatione namq; id consistere dixit secundum virtutem optimam ac perfectissimam (x). Sed optimæ ac perfectissimæ virtutis determinatio, sive sapientiam illam dicas sive prudentiam (y), satisfacere naturæ lumini Scripturâ adjuto haud potest. Sanctos contemplare; quam unicè in hâc vitâ desiderârunt felicitatis hîc cœptæ illic continuandæ scaturiginem, AMOR fuit, quò Deum amplexi abs Bonò tantò redamari cupidissimè voluerunt. In eò acquievit animus; ceterum ubiq; hæsitans (z).

r) Nicomach. L. I. c. 3. & c. 6. Ibid. c. 5. & 6. & 7. t) c. 6. & 8. u) e. 5. & 7. x) c. 6. ubi quidem addit hæc verba: in vitâ perfectâ; sed benè judicat Dn. Thomas. ea ad existentiam, non essentiam pertinere. Tab. V. Eth. y) vid. iterum Dn. Thomas. Tab. VI. z) lege jam saltim Ps. 73. v. 25. 28. add. Eph. III. 19.

V. Evolve, hòc positò, intra Te ratiocinia, & quid illorum ope concludere queas, expiscare. Deum agnoscit natura. Elementorum pagina loquuntur; temporum volumina edisserunt communem ac publicam divinæ Institutionis doctrinam (a). Urget eam opus Legis scriptum in cordibus (b). Undiq; adparet quantum sit DEUS. Benignitas tamen ac Munificentia tanti tot bonorum Autoris ac Conservatoris infinita penè præ aliis elucet. Hinc Seneca antequam vereri jubeat Deum & metuere, quod Dominus, quod severus sit: admonet quemq; amoris, nam Pater est; honoris, nam beneficus est (c).



a) S. Prosper. 2. de vocat. Gent. c. 4. b) Rom. II. 15. c) ex ej.  
cap. ult. de irâ adfert Dn. Alberti Comp. I. N. P. 2. c. 1. sub  
§. 4.

VI. Perge ulterius, ipsasque mentis operationes in-  
spice, & quænam sit earum præstantissima perpende.  
Intelligit mens; id est rem *in suâ naturâ cognoscit*. Cogi-  
ta, quantum homines hõc ipso præstent brutis. *Sub ra-  
tione hæc boni privati non in naturares adprehendunt. Quod  
quoties & nostræ intendunt actiones, brutales dicuntur* (d).  
Potest dein intellectui probè attendenti conformari  
propositum re ab eodem cognitâ fruendi, id est volun-  
tas (e). Quò conformatur magis, eò accedimus ad natu-  
ras sublimiores propius (f). Frui denique est volupta-  
tem capere ex usu & delectari. At & Amore est alicui  
rei inhærere propter se ipsam (g). Quid menti queat  
dulcius evenire?

d) Becm. Doctr. Mor. c. 3. §. 2. e) Id c. 6. §. 1. f) Id. cap. 1. §. 5.

g) Aug. L. 1. de Doctr. Christ. c. 4. qui & ibid. ait: Utendum  
est hõc mundõ non fruendum. Utor enim rebus ad id,  
quod amo, obtinendum.

XII. Amor unionis dicitur desiderium, quod sapius  
à concupiscentiâ, rectius à benevolentia dirigitur (h).  
Ita nobis ipsi malumus semper uniti vivere, bona quævis  
unita adesse, quando ipsi nos amamus (i). *Φιλαντία* reli-  
qui amoris fundamentum. Perversa, perversi, in Pro-  
toplastis peccantibus conspicua. Odium potius, si ex-  
actius rem pensites, quàm amor sui ipsius dicenda (k).  
Recta, recti, quâ *Φιλαντος* aut adcuratius, *Φιλάντα* (l),  
obsequitur præstantissimæ parti, optimaque eligenti in  
omnibus obtemperat (m). Nil poterat abs Deo homi-  
ni indi præstantius. Salomonæum adsertum est: Stoli-  
dus consumit carnem suam (n). Christi vox est: Quid  
proderit homini, si totum mundum lucretur & jactu-  
ram



ram faciat animæ (o) ? Ut & conservet se & menti confu-  
lere studeat homo, *Φιλαυτία* facit (p).

h) Becm. c. 7. §. 2. Add. Dn. Thomas. Tab. Eth. 31. n. 2. i) vid.  
Scharrock. de Offic. c. 6. à p. 386. k) Magnif. Dn. Alberti  
Comp. J. N. P. II. c. 2. §. 4. §. 5. l) cum Arist. l. 2. Magn. Mor.  
c. 14. m) Arist. 9. Nicom. c. 8. n) Eccl. 4. v. 3. o) Matth. 16.  
v. 26. p) vid. Sharrock c. l. Becm. Mor. c. 15. §. 1.

VIII. Conservatio sui ante omnia jubet ita quemq;  
vivere, ut æternum ipsi benè sit. Nam anima in scru-  
tinio sui, eorumq; quæ possidet bonorum, cognoscere  
potest; esse se immortalem; imò ubivis gentium co-  
gnoscat (q). Nec ignorat penitus, sed ex scriptura  
certò novit, bonis post hanc vitam gratiosa præmia  
retribui (r). Etiam corpori se scit sociam factam imò du-  
cem datam à Deo esse. Inde quod *αυτοχειρία* fugien-  
da (s): mors non optanda (t), nec ab aliis sine sui defen-  
sione expectanda (u) sit, docet. Dat proin fortitudini  
operam & patientiæ, conjunctis sub unò fortitudinis no-  
mine ab Aristotele virtutibus, circa metum occupatis &  
fiduciam: cum fortis nomine, qui rem adversam susti-  
nere nescit; & patientis (x), qui dolorem nequit mode-  
rari, indignus meritò habeatur. In causâ eadem DEI  
si versentur Martyrium gignunt: id est, extremam pro  
causâ DEI passionem (y): quam non intelligunt Ethnici.

q) Dn. Alberti I. N. P. II. c. 2. §. 10. n. r) Plutarch. Libr. contr.  
Epicur. s) Dn. Alberti c. 1. §. 12. 13. t) Becm. Moral. c. 15. §. 2.  
u) Id. c. 1. §. 3. x) species patientiæ longanimitas est circa mo-  
lestiam ex dilatione occupata ap. eund. §. 5. y) Id §. 4.

IX. Conservationem deinceps juvat nutritio &  
propagatio, quæ normam inveniunt in temperantia;  
per frugalitatis de abstinentia ac sobrietate; & castitatis  
de pudicitia & continentia datas leges: quarum gene-  
ralis ratio, nihil vult è voluptatibus per se ut adpetatur  
(z). Habet, inquit, Augustinus (a), Vir temperans in hu-  
jus-



iusmodi rebus mortalibus & fluentibus vitæ Regulam, utroque Testamento firmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per se adpetendum putet, sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem, quantum satis est, usurpet, uten-  
tis modestia, non amantis affectu. Moderatur quoque temperantia Visus & Auditus voluptates: sed sunt hæc ejus innominatæ species (b).

z.) Becm. Mor. c. 15. §. 4. a) L. i. de Morib. Eccl. c. 1. b.)  
Becm. c. 1. §. 8.

X. De Conservatione satis. Perfici quoque & ampliari volumus. Huc ergo Canones de Bonorum electione spectant. Ubi Bona animi tanquam præstantiora bonis corporis, & si ea moralia sunt, omnibus, nam & per hæc naturalia perficiuntur, præferenda (c). Circa externa ac fortunæ (d) bona: Modestia justè acquisitos, decenter gestos, debite conservatos ac defensos honores vult; qui si magni, Magnanimitatem progenerant (e). Opum cupiditatem *ἀντιπραξία* gubernat; ne nimium, nunquam satis habeamus, nec immenso quòdam plura indies acqvirendi impetu agamur (f). Se non amat, qui divitiis potius quam suæ tranquillitati sacrat animum.

c) vid. Canones allatos & declaratos à Dn. Alberti c. 1. à §. 25.

d) de Divisionis in bona interna & externa sensu gemino vid.

Dn. Thomas. Tab. Eth. 3. n. quartò e) Becm. Mor. c. 15. §.

9. f) Jd. l. c. 1. §. 10.

XI. Sed *ἀντιπραξία* istam in nobis imperfectam, ipsam conservationem nostri & ampliationem æquè ac originem sine Deo nullam esse, ad fatim meditationes altius progressæ monstrant. Et quanquam ideò amore in nos feramur ipsi, quod nostra nobis convenient, id est, quod bona videantur: à Deo tamen omnia esse ac per eum subsistere quoties cogitamus, Amor potissimum

ad



ad DEUM tendit; propter se ipsum, supra omnia, præ nobis ipsis, amandum (g). Agnoscenda ejus Magnitudo ne offendamus, ejus Bonitas, ut confidamus (h).

g) Beem. c. 14. §. 5. h) Id §. 6. Conf. Dn. Alberti P. 2. Comp. I. N. c. 1. §. 4.

XII. Ex Amore DEI, quò ad eum magis & magis accedere, inq; ipso acquiescere cupimus, fluit cultus; cujus modus ac ratio ipsi placeat, necesse est. Quod enim dilectum Diis, inquit Euthyphro, sanctum est: quod verò non dilectum, prophanum. Invisibilis igitur, unus, potens, promptus ad juvandum; colendus ut talis; ita corruunt Idola, Polytheismus, frivola preces. Colendus est animò, qui adsimilari ejus attributis adnititur. Cùm Cicerone agente, non tam adcuratis lætetur precibus, quàm innocentia & sanctitate DEUS. Huc usque natura: Ulterius, nisi relatione à fidelibus facta, haud potuissent, adeoque nec ad sacrificia, pergere gentiles. Ut verò perfectiorem cultus normam inquirerent, tum, hæsitando cognita imperfectio, tum fides, quã suis saltem credebant ratiociniis, humana tantum, valebant instigare (i). Principium enim amicitia cum Deo Divinitus excitata fides est.

(i.) Dn. Alberti c. 1. c. 2. à §. 56. k.) vid. Joh. à Felde Elem. Jur. p. 3. L. 7. c. 1.

XIII. Ex cultu discimus de Deo consideratè loqui, quod signum debita reverentia est (l). Hinc quaestiones & speculationes Scholasticorum de perfectione mundi (m): de possibilitate creationis ab aeterno (n): talibusque aliis meritò abs pie Philosophaturo præmittuntur. Neque in divinis fas est mysteriorum modos rimari, (o) aut in ratione vel natura eorundem vestigia investigare. Illos enim scire si è re nostrã foret; revelasset Deus: Hæc idem si extare voluisset, non forent tam lubrica (p). Nimum nobis adulamur, ubi nimia in nobis quaerimus.

B

1, Bec-



l) Becman. Mor. c. 14. §. 7. m) hanc videbis in omnibus penè  
physicis libellis, vid. vel Gisb. ab Ifendoorn Medul. Phys. L. 2.  
c. 1. quæst. 5. n) Invenies aliqua in eod. ab Ifendoorn. cit. l.  
qv. 1. o) Becm. Mor. c. 3. §. 6. 7. p) Sunt enim ista argumenta  
allusiones saltim & illustrationes vid. B. Dannh. Hodof. p. 273.

XIV. De tempore etiam cultus aliquid ut addamus,  
certum quoddam præ aliis ipsi destinandum esse inde  
Natura docet, quod inter alia opera ritè venerari Deum  
nequeamus. Quorsum Besoldi Axioma: Fluvius cur-  
rens non repræsentat imagines, sic animus, qui semper  
in motu negotiisque humanis turbatus, vix se ad ima-  
ginem Dei efformare potest (q). Ex quo ipso etiam to-  
tam diem cultui & quidem non rarò impendendam esse,  
iterum Natura concludit, quæ videns tot dies nostris  
destinari negotiis, ei quoque abs quo omnia, unam integ-  
ram sacrandam esse, lubentissima fatetur. Septimam  
autem Scriptura per positivam præcepti tertii appendi-  
cem determinat (r).

q) Ax. 45. c. 3. ap. Becmann. c. 14. §. 10. r) Quid de hac re disse-  
rat Pufendorf. vid. præf. tract. de Offic. hom. & civ.

XV. Dum ita DEI amori studemus, Creatorem om-  
nium non odisse suas creaturas posse, hominem im-  
primis amare, deprehendimus. Si igitur subtrahas a-  
morem proximo, facilè eum læseris, quem gratiosius  
forte DEUS complectitur. Ipse à proximo amari vis:  
ut ameris ama (s). Proximus est, qui ejusdem juris vel  
certè finis ejusdem nobiscum particeps est, vel esse po-  
test (t). Amori non admiscendæ sunt nebulæ de limo-  
sâ concupiscentiâ carnis, & scatebrâ pubertatis, ne obnu-  
biletur atque obfuscetur cor nostrum (u). Debet e-  
âdem vi in proximum, quâ in nos tendere, ut æquili-  
brium inter nos proximumque servetur (x). Eò plus ta-  
men diligendus proximus; quò propius ad commu-  
nionem Juris accedit. Ita diligendus est hostis, & toto  
corde est diligendus. Sed intimius Amicos, Consangvi-



neos, liberos, parentes conjuges amamus: Qvin, Magistratus maximoperè, Patronos item ac animæ Curatores, quod illi vicem Dei gerant, isti fortunam nostram promoveant; hi æternum esse nobis benè velint (y). Erga proximum liberales sumus & Magnifici, Officiosi quoque, veraces, comes, urbani (z): De quibus aliqua afferre brevitatis & promissum compendium non permittit.

f) Becmann. c. 16. §. 1. Der Politische Mäſcher in Appendice vom Wege der Glückſeligkeit à §. 6. t) Becm. c. 1. u) Aug. Conf. L. 2. c. 2. x) Becm. c. 14. §. 4. Mor. y) vid. alleg. append. des Politischen Mäſchers §. 5. clarius rem explicuit in Mſſ. quodam de J. N. illius Autor. De officiis etiam inæqualls amicitiae elegantia multa vid. in Joh. à Felde Elem. Jur. L. 7. part. 3. z) Lege de Homileticis virtutibus Tab. 22. Dn. Thomas.

XVI. Eminent in Amore proximi in primis Justitia; particularem volo (a); suum cuique tribuens inter illos, qui eodem nobiscum jure tenentur. An in commutativam dispesci & distributivam; an, phrasi Grotii, in explettricem & attributricem commodius possit, frustra fortè disquirimus; modo sit illa inter actus singulares, hæc sociales occupata; res clara satis fuerit (b). Pertinent huc quæ de pretio disputantur. Justitia vult res nec vendi nec emi minori majorive pretio quam valent, quia æqualitas tunc non obtineret. Spectant etiam huc de permutatione, quæ dictantur, ubi quæstio non ignota est: An licita fuerit rerum Europæarum levicularum cum mercibus pretiosis gentium Indicarum permutatio? Affirmatque Lessius quia illo loco pluris censei non poterant (c). Denique quicquid de contractibus dicitur, hanc in classem referri potest. Sed nunc compendiosè monstramus, non deducimus & explicamus Moralia.

a) Vid. de hæc Dn. Thomas. Tab. th. 23. b) vid. eund. c. 1. Becmann. Mor. c. 16. §. 4. c) L. 2. c. 21. dub. II.



XVII. De Amore erga bruta nil Ethici adferunt communiter. Scriptura tamen miserationem jumentorum in justo commendat (d). Et ut naturæ rerum convenienter nos geramus, meritò in adplicatione ad suos fines bruta conamur dirigere (e). Ita vix quippiam si amorem, præstantissimam in te operationem, fundamenti loco ponas in moralibus, intactum relinquetur. Ecquis enim ferat illud Caligulæ (f): Oderint, dum metuant? Amor boni imperii boni certum fulcrum ac stabilimentum.

(d.) Prov. 12. 10. (e.) Beeman. c. 16. §. 13. Mor. f.) Vid. Sveton. in vit. ejus.

XVII. Possemus nunc ad obstacula Amoris progredi, ac eorundem remedia investigare, nisi cancellos fortè egrederemur semel nobis præstitutos. Terrenorum sæpè amor, quò minus, quid nobis conducatur, perspiciamus, efficit: sed etiam si in Scripturis voluptas carnis, oculorum delicia, mens denique superba non rejiceretur, posset ipsa ratio exitum in hisce fraudulentis delectamentorum simulachris invenire. Valet non rarò multum turbatque mentes nostras infortunii metus, quasi quidquid evenit nobis, ad bonum haud dirigeret Deus, si ei confidamus. Multum quoque Amoris istius efficaciam impedit, nostra tenuitas & imbecillitas, quæ Ethnico inextricabilis Labyrinthus est, nisi in Scriptura quærat fontem salutis ac dignitatis, cui continuanda in altera vita felicitas, hic inchoanda unicè debetur (q).

(g.) Hæc remoras adducit & resolvit via ad felicitatem subjuncta tractatui cui titulus der Politische Mätscher sæpius allegato.

XVIII. Hæc catenâ virtuosas actiones nostras deduxit adductus etiam in Thesibus penè omnibus Beemanni; quem, non diffitemur, Ducem hic selegimus, red-  
egimus



egimusq; quæ prolixius ille explicuit in compendiū. Sup-  
peditavit quoq; non pauca Alberti, cuius hypothesis, quæ  
jus naturæ ex statu integritatis sive formaliter s. norma-  
liter deducit, facilem ad declaranda Moralia viam ape-  
ruit. Poterunt ad *συζητησιον* sufficere hæc brevissimè con-  
gesta, quæ si fors ita tulerit, majora & solidiora excipient.  
Interim sit maneatqve scopus noster & felicitas nostra

AMOR DEI:

Cui Laus & Gloria.

CORROLARIA.

1.  
**N**egato vacuo, quidquid in Physicis speculatus est Carte-  
sius, superstructum est; Si illud demonstraveris Carte-  
siano, cadent, quibus innititur, principia.

2.  
Per particularum dispositionem declarare Qualitates non  
incommodum est.

3.  
Calor & frigus vi hujus denominationis sue respecti-  
ve sunt Qualitates.

4.  
Diversam in homine commotionem non penetro, a-  
deoqve nec diversum effectum sive prius videat lupum ho-  
mo, sive à lupo prius videatur.

5.  
Lapsum nubium supra nubes tonitru generare, quæ Car-  
tesii est sententia Meteororum c. 7. § 5, satis ego pervidere  
haud possum.

6.  
Attractionem à pulsione omnimodis distinctam, quæ o-  
mnia in physicis per contactum operari arbitrantur, non pos-  
sunt asserere.

---

AD GENEROSUM DN. RESPONDENTEM. S.

**M**entis honos AMOR est; virtus honor almus AMORIS:  
Sic mens & Virtus multum in AMORE micant.

Tu



Tu mentis dotes declarature, nitescens  
Quærerere virtutis vis In AMORE decus.  
Sit Decus, omne tuum, Virtutis AMORE nitere:  
Et VIRTUS & AMOR sic honor almus erunt.

*προς Πωγωνος Προσιδis*

M. Gottlob Fr. Seligmann,

**D**u Edler Musen Sohn du zeigst / wie man  
die Tugend

Vor andern liebe soll / in deiner grüne Jugend:  
Das ist der rechte Zweck / drum fahre glücklich fort /  
Bist du erlangen wirst / den längst gewünschten  
Port.

Die Freundschaft ist vergnügt / der Eltern Herz  
erfreuet

Weil dein gelehrter Mund / so kluge Worte streuet  
Die nichts als Verstand / und Weisheit nach  
sich ziehn.

So siehet man in dir / der Tugend Liebe blühen.

Aus Brüderlicher Freundschaft setzt dieses hinzu

J. E. R. v. K.

**M**agnâ, Lübkeni, laude Opponentis acuti,  
Te novi nuper sustinuisse vices,  
Nunc iterum respondendo defendere amorem,  
Rerum principium, te juvat haustus amor.  
Hoc specimen quid mens valeat, quid ferre recuset,  
Et quonam fueris ductus amore, probat.

*Hæc paucula suo ex asse amico  
gratulaturus adjicere volu-  
it, debuit*

HIERON: Böfel / Hamb.

**D**As Generose, brevi nexu Compendia morum,  
Estque Tibi Virtus filia; Mater Amor.  
Scilicet, adfectus quò præstantissimus in Te  
Tendat, cò adserto nil simulante, patet.



Nobilitatis honor Virtutis AMORE nitorem  
Ut cernat, scopus est non sine laude tuus.

Hartw. Gotth. ab Elvern.

**V**irtutes in AMORE ligas; in AMORE ligatas  
Omne manere decus cuncta qve fausta vides.  
Sicqve ut NOBILITAS VIRTUTIS AMORE nitescat,  
Hoc opus, hoc studium est, mens Generosa, Tuum.  
Perge; Tuo laudum fructus respondet AMORI,  
Tantusqve est omnis dignus AMORIS AMOR.  
Amorem fraternum de amore disputanti  
testificaturus apposuit

ALEX: HARTW. ab ELVERN,

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

**I**st ist der erste Fleiß / diß ist die erste Probe/  
Dadurch dein Edler Geist sich zu erkennen giebt/  
Den krönt in allen Thun mit wohlverdienten Lobe/  
Was Er als seinen Zweck und bestes Ziel geliebt,  
Die Tugend hat den Ruhm / die suchstu aus der Liebe /  
Sie stellt sich durch und durch in Ihrem Bande dar /  
Sie reizt dich mehr und mehr mit unvermerkten Triebe /  
Und macht dir / was du wilst / in allen Stücken klar :  
So steigstu froh empor und spühest die Süßigkeiten /  
In denen erst die Krafft der Liebe mächtig ist.  
So will dein Edler Stamm dir selbst den Preis bereiten /  
Weil du vor seinen Glor so wohl bemühet bist.  
Ich wünsche Glück darzu. Doch sieh in diesen Flamen  
Mit angenehmer Lust ein helles Beyispiel an.  
Kombt noch ein Tugend Hertz dereinst mit dir  
zusammen / (Kar.  
Bezeigt dein Geist auch mehr wie sehr er liebe  
Aus verknüpfftem Gemüthe schriebs  
Henrich von Dvalen.



ax  
Tf  
789

**P** *Principium verum, Lübben, defendis amorem,*  
amore ductus igneo.

Perge tuos studiis porro exhilarare parentes,  
flagrans amore hoc igneo.

*paucula haec Consalino suo adscribere voluit,*

**JOHAN: SCHRÖDER: Gustrov:**

**Megap.**

**S** Menschen höchstes Gut und Endzweck aller Sachen  
Will Er liebwehrtster Freund anis Uns stellen für;

In dem sein Geist bemüht durch Sätze klar zu machen

Daß kein vergnügen sey / so nicht die Tugend zier:

So recht geehrtster Freund! Ich lobe sein beginnen!

Und wünsche Glück dazu: Es muß sein Zweck bestehen!

Und er der Tugend-Kron durch seinen Fleiß gewinnen!

So wird des Stammes-Ruhm bis an die Wolken gehn.

**C. D. von Derken.**

**M** *Mortalis nonne omnis amat? Sic est, amor omnes*  
*Complectitur pulcherrimus:*

*Namq; ex hoc ceu fonte fluit, surgitqve perennis*

*Virtutis omnis actio.*

*Id quod Tu, Συσκίψε, probas, dum publica scandens*

*Nostri Roseti Pulpita,*

*Omnis virtutis Matrem defendis amorem.*

*Amore maecte hoc perpetim!*

*Gratulab. apponere voluit*

**L. N. ab Elvern.**



nc



ILL  
 DN  
 SEREN  
 AD  
 PA  
 EJUSD  
 LEVID  
 DEBIT  
 AC

ONORE.  
 TUIT.  
 ENTISSIMO.  
 NING.  
 NI. GUSTAVI.  
 c. &c. CON-  
 CHÆ.  
 CONSUL-  
 HLIO.  
 AC. DN: &c. &c.  
 IN.  
 ARUM.  
 SSERVANTIAE.  
 STUDIORUM.  
 BMISSE. AC.  
 BKEN.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

**KODAK**  
 LICENSED PRODUCT  
 3/Color Black  
 White  
 Magenta  
 Red  
 Yellow  
 Green  
 Cyan  
 Blue

